

05

A

537










05 A 537



**L**iteræ Synodicæ, quas *Eusebio lib.*

*VII.7. Hist. Eccles. c. XXIV.* recensente, *Antiocheni Patres ad Dionysium Romanum & Maximum Alexandrinum, cæterosq; per orbem Episcopos de causis excommunicati Samosatani, miserunt, perhibent, Paulum illum Psalmos, qui in Christi Domini*

*gloriam cantati sunt, ceu recentiorum virorum commenta sustulisse. Quod quamvis de Psalmis Christianorum dictum videri possit, quos impio Artemonis, prædecessoris in illa hæresi, errori opposuit Auctor quidam eximius ac perantiquus, sed ἀνόνομα, apud eundem Eusebium lib. V. cap. XXV. Quot sunt Psalmi, quot cantica AB INITIO, à fidelibus fratribus scripta, quæ Christum Dei Verbum, tanquam Deum celebrant, ac laudant! De cuiusmodi Psalmis testatus etiam est Plinius Secundus ad Trajanum Imperat. l. X. Epist. quod nempe soliti fuerint Christiani stato die ante lucem convenire, carmenq; Christo quasi Deo dicere secum invicem: Pleriq; tamen intelligunt Psalmos Davidicos, Christi Deitatem, adventum, ac beneficia describentes, quæ Samosateno sude fuere in oculis, quemadmodum de prædecessoribus ipsius Auctor prædictus Anonymus testatur, quod impiâ versutiâ simplicitatem divinarum literarum fraudulenter corruperint, manusq; irreligiosas Scripturis Sacris injecerint, gloriati, se easdem emendasse; nonnulli etiam eorum simpliciter legem & Prophetas negarint, in extremum impietatis ac perditionis barathrum prolapsi: unde mirum non fuerit, si Paulus ille impietatis istius hæres Psalmos Propheticos, quos sibi adversos videbat, ceu recentiores traduxerit ac reprobarit. Quamquam nec de eo dubitare liceat, quin Psalmi Ecclesie primitivæ proximo ab excessu Apostolorum Seculo, quos auctor prædictus respicit, ad Davidicorum Psalmorum instar compositi, nec à mente Davidis alieni fuerint, sed uno cum Ifacide Spiritu Messiam verum Deum flos ille Christianorum devotè celebravit.*

*Id autem dolendum serio est, quod Artemonis & Samosatani Spiritus non in Socinianis modò, hæreseon istarum propugnatoribus*



toribus, sed in iis etiam qui Christi Θεωλογῶν cultores nuncupa-  
 ri volunt, Calvinum dico, ejusq; complices, revixerit: qui etsi Psalmos  
 Propheticos non rejiciant penitus, sensu tamen nativo, & genuino,  
 in locis, quæ de Christi Deitate, adventu & officio agunt, ceu Spiritu  
 & animâ dictorum, ita privant, ut ex angve & inane sceleton re-  
 ferre videantur, neq; Christum exhibeant, aut Prophetici amplius  
 haberi debeant. Questus est de iis superiori Seculo B. Lutherus,  
*Epist. ad Eoban. Hess.* quod tenebras Judaicas in lucem Psalmorum  
*clarissimam invebant*; questus & Philippus, cujus judicium magni  
 facit Grotius; utpote quem prædulce juvat stillante Melanchthone  
*nectar*, teste ipsius Epigrammate: *Ineptissimum genus est*, scribit  
 Philippus ad Eoban. *illorum, qui quâdam Judaicâ superstitione ad-*  
*ducti, glossematis Judæorum, cum figuras non intelligant, nec sen-*  
*tentiarum ordinem animadvertant, sæpe absurdos interpretationes, ac*  
*verè, ut græce dicam, ὡς τὸ μέλι,* affingunt. Quam querelam  
 repetiit in Anti Pareo altero B. Agidius Hunnius de Job. Cal-  
 vino, quod ipse inter Judaizantes præcipuus palmam suâ ætate  
 ceteris præripuerit, quod ὡς ὅμοια ita Pareo demonstravit, ut hy-  
 peraspisten illum Calvinum obmutescere oportuerit. In *Calvini So-*  
*ciis* idem pariter justo Zelo reprehendit B. Gesnerus noster *Meditat.*  
*Psalter. Gener. c. 1.* quod insignia & luculenta Psalmorum oracula de  
 Christo ejusq; beneficiis Judaico plane more enervent, typorumq; um-  
 bris adeò obscurent, quæ absq; typo dicta in se sunt clarissima, ut pia  
 mens non possit non ad tantam hominum audaciam corroborare, &  
 vehementer ingemiscere. Sed profectò nescio, annon omnes im-  
 pietate longe superet Hugo Grotius in *Annotatis*, quibus Psalmorum  
 librum foedavit potius, quàm illustravit, non Calvinum modò, aut  
 Samosatensium & Artemonis Spiritu ebrius, sed implorum etiam Ju-  
 dæorum vesaniâ ita dementatus, ut Propheticos Psalmos universos,  
 qui de Christo, ejus divinâ naturâ, adventu, ac beneficiis tractant, præ-  
 stigiis veteratoriis prorsus detestandis pervertat, atq; evertat.  
 Qui ne unicum quidem Psalmum Christo Θεωλογῶν soli relinque-  
 re dignatus est: omnes in universum, etiam quos ipsemet Apostoli  
 de Christo interpretati sunt, quos demonstrarunt, non posse de alio,  
 quàm de Christo accipi, quos ipse Christus de sese exposuit, & qui-  
 bus acerrimis adversariis, præcipuis etiam Judæorum Rabbiniis,

ora

ora obturavit, in alienum sensum insigni *υβεία καὶ πανεργία* detorsit, neutiquam *Christi* aut *Apostolorum*, ac ne *Judeorum* quidem *veterum* interpretationi acquiescens, sed *recentioribus* *Rabbinis* hostibus *Jesu Nazareni* *ἀπὸ ὀνότου*, ac prorsus excæcatis aures præbens, herbamq; porrigens. In rem præsentem jam tantum adduco *Psalium CX* quem etsi de *Messia* agere, testimonio *Christi*, ac antiquorum *Judeorum* convictus, fateri necessum habuerit, non potuit tamen sibi temperare, quin eundem ita perverteret, ut apprimè *Davidi* conveniat, neq; jam *sessionem* ejusmodi *ad dextrâ Dei*, quæ ne ulli quidem *Angelorum* competere queat, teste *Apostolo*, sed solum *securam quietem sub fiducia auxilii divini*: non *Sacerdotium æternum, secundum ordinem Melchisedeci*, soli *Messie* proprium, sed *ministerium perpetuum Davidis Regis justis* describere credatur. Quod commentandi genus quam sit pestiferum, *judicio B Hunnii*, oratione satis explicari nequit. Id namq; non modo *periculosissimarum dubitationum stimulos mentibus infligit hominum alioquin infirmorum*, sed *Judeos etiam in conceptis semel erroribus reddit obstinatiores, dum vident suas Strophas, quibus limpidam veritatem turbant, Christianis etiam interpretibus non displicere*. *Gratias omninò divinæ benignitati agere debebamus, quod per Apostolos, ipsumq; Salvatorem nostrum Prophetis oraculis clarissimam lucem intulerit*: Sed isti multo conatu ea, quæ *Novum Testamentum* clara reddidit, tenebris involvere laborant. Proh admirandam ingratitude, imò detestandam perversitatem!

Quapropter quum hæcenus *duobus distinctis Collegiis Biblicis* *Scripturam Veteris Testamenti* à *Grotianâ* detorsione, ope *divinâ*, vindicarem, ac *priori* quidem *Pentateuchum Mosis per decem Disputationes publicè habitas*, à variis corruptelis liberarem: *Altero* verò *libros Historicos*, inclusa etiam *S. Jobi Historiâ*, etsi *Poeticè*, uti creditur, *descriptâ*, *sex Disputationibus publicis* adseruerim: **PSALMORUM LIBRUM** *peculiari Collegio* (meretur enim eam operam præclarissimum illud *Enchiridion Biblicum*) repurgare *ὄν παλαίμα & χεῖρ* constitutum est à *depravationibus Grotianis*, maximè tamen *Psalms Propheticos*, quos *vates Jesæus de Messia Dei Jacob confirmatus*, in *Spiritu*, in honorem *Christi* decantavit, profligatis *glossis & commentis Grotii Judaicis* pristino

nitore restituere. Quum enim Christus ipse, *S. Lucâ* perhibente, Passionem & Resurrectionem suam, ac prædicationem Evangelii per universum orbem, è Veteris Testamenti monumentis adstruens, peculiarem classem testimoniis Psalmorum assignarit, demonstratione primum è *Mose*, tum è *Psalmis*, deniq; è *Prophetis* institutâ; non certi modo, Salvatoris nostri divino iudicio, reddimur, Psalmos ista omnia de Christo peculiariter nobis exhibere, sed operæ pretium non vulgare etiâ nos facturos credimus, si pariter *distincto Collegio*, atq; operâ paulò accuratiori testimonia illa maxime insignia, quæ in Psalmorum libro continentur, adferamus. Quod proinde aliquanto plenius, utputa *XV. circiter disputationibus*, prout majori minorive ambitu Disputationem quisq; suam circumscribi maluerit, expediemus: cum *Grotio*, evidentioris ac uberius Elenchi gratiâ, conjuncturi hyperaspisten Calvinii novissimum *Andream Rivetum*, qui etsi de cætero in plerisq; acris fueris Grotii adversarius, hic tamen, ubi Calvinii Judaizantis vestigia elegit Grotius, Calvinio alias, & imprimis, ob *horribile illud decretum absolutum*, perquam infestus, amicè cum Grotio (non secus atq; Pilatus cum Herode, ubi adversus Christum res erat,) conspirat. Glossemata ergò Riveti ac Strophas eâdem operâ, ut fideiâ unâ, duo, quod ajunt, dealbentur parietes, expendemus, ac discutiemus.

Dum hæc scribo, τυχόντως sese offerunt verba eximii cujusdam Theologiae Doctoris, cujus nomini, ob veterem amicitiam, hic parco, cui tales glossematum Rabbinicorum sive Riveti, seu aliorum Calvinianorum offuciæ glaucomam ita fecere, ut non modo de πνευματισμῶν istis dubius videatur redditus, sed alium etiam insignem Theologum nostrum sic provocarit: *Ob die Erklärung etlicher Sprüche/die Calvinus und andere auß den Rabbinern außgeleget/und die einem oder dem andern in unserer Kirchen mißgefalle haben/eben so leicht zuwerwerffen seyn / halt ich für eine schwere Disputation, und mag davon temerè nicht urtheilen. Es sind in Engel - Holland und Franckreich außdermassen gelehrte und in Sprachen erfahrne Reformirten, (Nunquid non Deus in Israel!) derer viel es wohl möchten mit Censore vor dem Calvinio in Erklärung etlicher schweren Sprüche Alten Testaments / sonderlich zu disputiren aufnehmen und daferne ihm die Haut jücket/kan er sich nur ange-*



angeben / und die Sach wieder auffwärmen. Quod iudicium, quâ  
pium Dn. Prædecessorum Zelum, minus æquum, quâ vindicias Pro-  
pheticorum oraculorum, minus religiosum, vel ex amabæis B:  
Hunnii, & Parei scriptis convincitur. Manifestum autem inde  
est, quanta nobis incumbat necessitas, tales præstigias & offucias,  
ne studiosis imponant, detegendi.

Equidem quanta religione pii veteres Psalmos Propheticos  
Christum decantantes indagarint, quantâ solitudine sensum de  
Christo germanum propagare laborarint, egregia illa *S. Athanasii*  
*de interpretatione Psalmorum Epistola*, quam ad Marcellinum per-  
scripsit, ne alia nunc commemorem, luculenter edocet. Laudat  
eadem S. Episcopus *Marcellinum*, libello potissimum *Psalmorum ino-*  
*herentem*, magnaq; contentione genuinum sensum indagantem: ac te-  
statur, se etiam magno desiderio in eundem librum ferri: senemq; in-  
super aliquem benè industrium adducit, qui non modo præclare  
sibi *Psalmorum Codicem* ceu præcipua attentione ac observatione præ-  
aliis dignum vehementer commendavit, verum etiam prolixè do-  
cuerit, quod passim in Psalmis de Messia adventu agatur, ita ut modo  
adventus Dei prædicatur (ex.gr. Psalmo L.) modo Christus ut Filius  
& verbum Dei (Ps. II. Ps. XXXIII.) modo ut Messias & Deus (Psalm.  
XLV.) describatur, modo insidiæ Judæorum adversus Messiam  
(Ps. II.) modo conditio mortis & crucifixio Christi (Ps. XXII.) modo  
satisfactio Christi (Ps. LXIX.) & Redemptio (Ps. LXXII.) modo  
ascensio ejus (Ps. XLVII.) & sessio ad dextram Dei (Ps. CX.) modo gen-  
tium vocatio (Ps. XLVII. & LXXII.) designetur. Et quum reliquos  
quidem Psalmos, qui de Christo non canunt, accipere ita quisq; fide-  
lium possit (quasi ibi de rebus suis, non alienis sermo fieret, & is, qui  
audit, itidem ut ille, qui legit, compungatur, atq; sic afficiatur odarum  
illarum verbis, ac si sua ipsius propria essent: longè tamen aliam esse  
rationem eorum Psalmorum, ubi de Vaticiniis Christi agitur, profes-  
sus est senex ille θεοδίδακτος; utpote quas SOLI Christo vindicare,  
atq; ita admirabundus venerabundusq; perlegere quisq; debeat. Quam  
venerandi senis sententiam calculo suo comprobat *Athanasius*, ac  
de Psalmis Prophetis ita mentem suam exponit: *Cum vis seorsim*  
*à cæteris canere ea, quæ ad Christum spectant, in unoquoq; Psalmo Pro-*  
*phético talia invenies, sed præsertim in XLIV.* (Athanasius secundum  
Græ.

Græcos numerat hîc, & in seqq.) & CIX. quibus indicatur ejus ex Patre genuinus ortus, & in carne adventus Ps. XXI. autem & LXIIX. divinam ejus crucem predicant, & quas insidias propter nos toleraverit, Judæorumq; dolos, & malitiam, & prodicionem Judæ Ischariotæ. Porrò XXII. & XLIX. & LXXI. regnum ejus & potestatem judicandi demonstrant, ejusq; ad nos secundum in carne adventum. Et XV. ejus carnalem resurrectionem ostendit. Vigésimus autem tertius, & XLVI. annunciant ejus ad cælos ascensum. Cum autem XCIII. XCVI. XCVII. XCIIX. legeris, perspicies singula ejus in nos virtute passionis sue collata beneficia. Hæc S. Athanasius, cui uti in adserendis Prophetis de Christo Psalmis parilem navarunt operam alii Patres, nostriq; inde à B. Luthero & cum eodem Theologi, sic nostra hæc in Psalmis potissima erit cura, Christo, quem in ἐγευνήσει veteris Scripturæ indagare, Christo ipso jubente, tenemur, vaticinia, quæ de ipso cantata sunt, vindicare.

Quâ operâ nullam sanctiorem, nullam cultoribus SS. Theologiae & cum primis τῆς ψαλμοφίλοις magis utilem ac fructuosam, nullam magis necessariam esse arbitramur; quapropter alacres futuros in eadem nobiscum suscipienda, quibus non tam proletaria Epitomes hujus Biblicæ, Psalmorum lectio, quàm accurata sensus Spiritus S. indagatio curæ cordiq; est, confidimus. Qui ergò sive publicè sive privatim Respondentium partes suscipere, atq; ventilatione materiarum istarum in V. T. Codice præstantissimarum sese exercere discipiunt, nomina sua mihi hæc septimanâ ut profiteri velint, amicè rogantur. Assignabo disputationes eâ quantitate, quæ cuiq; placuerit: Alii enim proluxiores, alii concisiores expetere solent: quod cujusvis arbitrio relinquetur. Adsit Dominus JESUS, & Spiritu suo, quo per Davidem passiones suas, & quæ illas sequuta gloriam prædixit, sensum prædictionum, honoremq; suum adserat, vindicetq;.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo sit gloria!



05 A 537


ULB Halle 3  
004 208 323



1017 sel








SACRARUM LITERARUM  
CULTORIBUS,

*Ἐ cum primis τοῖς ψαλμοφίλοις  
Salutem Plurimam in Dno. Jesu!*

ABRAHAM CA-  
LOVIUS, D. P. P. Pastor, Consistor.  
Assefs. & Elector. Sax. Superintendens  
Generalis.

ANNO DOMINI c<sup>o</sup> l<sup>o</sup> LX.  
DN. III. POST SOLEMNIA  
Epiphaniae.



WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.